



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, [1659 erschienen] 1660

S. Ivlianvs Conf. 12. Februarij.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42032

tatis, sit in velamento capitis tui Christus, crux in frontis munimine: in odorem thymiana orationis semper accende, altare cor tuum pone. S. Pet. Chrys. ser. 108.

S. IVLIANVS CONF. 22. Februarij.

Quoties dura hostem petit, se sauciat & suos
ira! Domo aberat IULIANVS, familiam con-
juge curante. Interea parentes adiunt, &, quem
puerum amiserant, filium querunt. Heu quam
præstabat nunquam invenire! At conjux gratula-
ta sibi, quod benefacere etiam absenti IVLIANO
in parentibus posset, humanissimis verbis hospi-
tes salutat, epulo laurissimo excipit, ab epulo in
suo thalamo molliter locat, nescios funebrem se
lectum descendere. Et fortè jam filium somnia-
bant: cùm ecce adeat hic, & ubi primùm à gemi-
nis premi lectum videt, sive nox, sive thori violati
suspirio oculos fascinaverat, præcipiti vindictā
utrumque ferro trajicit, lectumque dum ab adul-
terio purgate parat, ah! paricidio maculat. Mox
uxor superveniens, & dies facinus monstrant. Hic
demum IVLIANVS non longius fugisse se parentes
ingemiscere, accusare paridas manus; ultrò om-
nes culeos advocare, denique cogitare, quā nefas
tantum seriò in se castigaret. Longum supplicium
placuit. Xenodochium propter fluminis ripas
construxit, rectius in hoc hospites pauperes ac-
cepturus, omniumque ipse bajulus per undas fu-
turus. Et fuit cùm leprosi formam Christus induit.
Hunc cùm IVLIANVS transportatum foco fovisset
rigentem, mensa esurientem, & suo lectulo dor-
mitientem, ecce paricidii veniam manifestus,
vel dedit, vel olim datam nuntiavit. Perrexit ta-
men ille operam suam eò studiosius probare, quo
hospi-

hospitibus nobilioribus jam fræquentari ædes videbat. Ex Petr. de Natal.

Ille viam Domino suo parat, qui luxuriantis carnis responens voluptates, toto mentis sue spiritu suspensus ad Deum vigore se castitatis accingi: optimam parat Domino viam qui cogitationes suas, avaritia fluctibus astuentes serena conscientia tranquillitate compescit. S. Max. hom. de S. Ioan.

S. MARTINIANVS C. 13. Februarij.

Vitam solam MARTINIANVS agere cœpit octo & decem annorum adolescens. Dæmon malus ejecturus statione suâ militem, veteris serpentis exuvias induit. Sed nihil nisi risum retulit, quo merito humi eum repere post casum tam altum dixit. Quid ageret vixtus serpens? ut virum decipiat, iterum mulierem subornat. Adest hæc paniculis involuta, & velut à viâ exerrasset, magnis ejulatibus, ne in pabulum feris cedat, id noctis hospitium orat, aperit MARTINIANVS à seris feminam defensurus, se lupæ objecturus, penitioribus tamen adytis clausus pernoctat. Sed manè mulierem ecce tibi mundo omni ad miraculum superbam! Videt hanc, & basiliscum videt. Audit, & Sirenem audit, & dæmonis victorem pñè mulier vincit. Experrectus ramen veluti à somno ignes fecit ingentes, pedibusque insultans. age dixit, lubeat peccare, si vel has flamas lubet ferre. Extinxit hic rogus Veneris ardorem, tuum præcipue cum lacrimas meretricula etiam, damnata jam Venere, affudit. Cæterum MARTINIANVS in rupem è medio mari eminentem secessit. Hic quoque dum Charybdim fugit, in Scyllam minimo minus incidit, & Venerem planè regnare in mari.